

Nr 27, 28. fehlt!

17

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
DIVERSA
HYDROPI
MEDENDI METHODO

QVAM
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS
ET
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSORE PVBL. ORDINARIO,
FACVLT. MED. SENIORE ET REGIOR. ALVMN. EPHORO,
IMPERIALIS ACAD. NAT. CVRIOS. PRAESIDE ET COMITE PALAT. CAESAREO,
REGIARVM SOCIETATVM SCIENTIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENS.
ET MONSPELIENS. SODALI,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQUE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

D. XX. OCTOBR. A. R. S. CLO Iocc LXVI.

PVBLINE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES GOTLIEB PETRVS BLVTH
ANCLAMO-POMERANVS.

HALAE MAGDEBURG. TYPIS IO. CHRIST. HENDELII VIDVAE.

DISSESTATIO IN VAGABANTIS MEDICIS

HYPOTHYSES
METHODO

CONCERNANT DIVERSOS ORGANIS MEDICORUM
IN VARIOUS MANNERES TREATMENTA

PROTATIS HYPOTHYSES
HYPOTHYSES PROTOTATIS, HIC LITERATIONE, ET HYPOTHYSES MEDI

D. ANDREI ELIVI BACCHNERO
FOTOTITIS HYPOTHYSES, ET HYPOTHYSES A CONVENTIS INTITULIS
MODUS ET MANNERES TREATMENTA DIVERSORUM ORGANORUM
PER TUTAM ET SECURAM MEDIAM ET CONVENTAM FESTA GASTRICO
PERGAMEN SCOTTUM IN DIVERSIS MANNERES, ET CONVENTIS
PERGAMEN SCOTTUM IN DIVERSIS MANNERES, ET CONVENTIS

L TO C R A D A D O C T O R I S
SCOTTUM IN DIVERSIS MANNERES, ET CONVENTIS
LITERATIONE, ET HYPOTHYSES
LITERATIONE, ET HYPOTHYSES

JOANNES GOTTHILF HETZLER

HELIOTROPIUM, ET HYPOTHYSES, ET HYPOTHYSES


V I R O
PERILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, EXPERIEN-
TISSIMO ATQVE CELEBERRIMO
D O M I N O
D. CHRISTIANO ANDREAE
COTHENIO
POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS
CONSILIARIO INTIMO ET ARCHIATRO PRIMARIO
REGIORVM EXERCITVVM
GENERALI PRAEFECTO MEDICORVM
SVPREMI COLLEGII MEDICI DIRECTORI GRAVISSIMO
COLLEGII MEDICO - CHIRVRGICI BEROLINENSIS
DECANO SPECTATISSIMO
CIRCVLORVM QVORVNDAM MARCHIAE PHYSICO
ACADEMIAE IMPERIAL. NATVR. CVRIOSOR. ADVNCTO
ACADEMIAE REGIAE SCIENTIARVM BEROLINENSIS
ET COLLEGII SANITATIS SODALI,

PATRONO ET MAECENATI SVO
DEVOTISSIMA MENTE AETERNVUM VENERANDO,

HOC QVALECVNQVE
SPECIMEN IN AVGVRALE
IN PUBLICVM ATQVE PERENNE
SANCTISSIMI OBSEQVII, SVMMAE PIETATIS
ET REVERENTIAE MONVMMENTVM
DEMISSO ANIMO CONSECRAT
IPSIQVE
INTER ARDENTISSIMA VOTA
PRO NVMQVAM INTERRVPTA EIVS SALVTE
INCOLVMITATE, PROSPERITATE
SE
SVAMQVE FORTVNAM HVMILLIME
COMMENDAT

TANTI NOMINIS

DEVOTISSIMVS CVLTOR
IOANNES GOTTLIEB PETRVS BLVTH.



§. I.

Introitus.



Quamquam pulcherrima MONROI, TISSO-
TI & quorumdam aliorum extant de
Hydropsi curandi methodo scripta: ta-
men in academica hac scriptiuncula
eam rem exponere mecum constitui, vt
collecta quasi, quantum in me est, ha-
beantur praestantissimorum Virorum in
re haud sane facili cogitata. Quantum enim a cauta &
cum ratione suscepta variarum sententiarum, caussarum,
methodorum collectione ad Medicinam redundet com-
modum, nemo nescit. Ut vero differentes istas Hydro-
pi medendi methodos limae subiicere queamus atque di-
judicare: causae prius Hydropsi paulo curatius indagari
debent, pro quarum differentia Hydropsi curatio diffe-
rat necesse est. Fxit vero D. O. M. vt haec feliciter
cedant!

*CAVSSAE HYDROPISES.**§. II.**Notio Hydropis eiusque causa proxima.*

Ea est variorum corporis humani cauorum ratio, vt, durante sanitatis statu, tenui irrorentur aquula, quae serosae sanguinis portionis progenies est, quaeque post qualemcumque retentionem per exilia vaia absorbentia ad sanguinis oceanum reuehitur. Atque eadem in telam, quae vocatur, cellulosa passim cadunt. Quamquam enim ea adipi & lymphae ad tempus colligendis destinata est: cum iis tamen fluidis ipsam illam aquam permisceri, vti secretionis theoria suadet, ita manifestissima muci in adipe animalium signa (GAVBII *Institut. Pathol. med.* §. 376.) luculentissime demonstrant. Nunc vero praedicta aqua in locis istis copiosius, quam fas est, colligi potest, cum nimium frequenter in corpore humano accidat, vt absorptio, continuo necessaria, langueat, quamcumque demum ex causa id fiat. Quare non minus contingere potest, vt tumor exinde nascatur, quem *Hydropem* nominare solent. Is itaque est tumor ab aqua, nimium quantum in cellulari aut cauis collecta, subortus. Intelligitur hinc causa illius proxima. Copia scilicet aquae in cauis & cellulari eo debeat esse maior, quo copiosior est secretio illius, aut quo languidior absorptio existit. Quum vero copiosa secretio, si excedat, non possit non languentem absorptionem inducere: patet, causam *Hydropis proximam* ad languidam nimis, aut plane impeditam aquae ex tela cellulari vel cauis corporis humani absorptionem, permanente tamen illius secretione, redire. Clariss. RIEPENHAVSEN posuit causam proximam.

proximam omnium Hydropum primo in extravasatione seri, secundo in impedita resorptione seri & secretione vrinae (vid. EIVS Tract. de Morb. epidem statim ab initio prox. belli vsque ad eius finem &c. Hal. 1766. pag. 32.), nescio vero an satis bene, cum & impedita resorptio seri ad determinandam caussam Hydropis proximam sufficiat, & secretio certe vrinae impedita, tamquam caussa valde remota, proximam ingredi non debeat.

§. III.

Cauſſae Hydropis, quae proximam inducunt.

Cauſſa ista proxima Hydropis ab ingenti remotarum & antecedentium numero excluditur, quae ut inueniantur omnes, ordine exponi debent. Duplex nimirum corporis humani vitium proximam illam generat: I. Secretio seri in caua & cellularē nimirum quantum adaucta. In statu enim sanitatis secretionem inter & absorptionem exacta proportio obtinet, ita ut neque minus, neque plus absorbeatur, quam secretionis ratio postulat. Quodsi vero secretio nimirum capiat incrementum: absorptio, eodem gradu permanens, non poterit non ad secretionem relata languescere, atque ideo cauſſa Hydropis proxima euadere. II. Absorptio in ſe ſpectata ſeu abſolute impedita, quod ex §. anteced. peripicitur. Atque ad has cauſſas remotae omnes satis congrue reuocari poterunt.

§. IV.

I. Quae secretionem seri nimirum augent.

Consideremus iam eas, quae, augendo secretionem seri, Hydropem generant. Spectant huc 1) copia nimia seri. Fluidum enim ſecernendum quo maiori in copia sangu-

sanguini inhaeret, eo facilius quoque eoque maiori in quantitate secernitur. Videmus id in subiectis, quae dicuntur, mucosis, in quibus secretiones mucosae valde intenduntur. Nonne ergo in praesente casu idem respectu seri continget? Intelligitur inde: cur enormem potuum copiam assumtam Hydrops sequatur? cuius rei specimen afferit celeberr. MONRO *de Hydrope eiusque speciebus*, Edit. germ. a celeberr. KRAVSE 1762. Lipl. publ. iur. fact. pag. 19. seq. 2) *Congestio seri ad Lanc illamue corporis partem*, tunc scilicet eo in loco copia massae secerndae increvit, quo fit, ut ipsa secretio seri anterior euadat. Hinc mirum non est, quod excretionem cutaneam suppressam; obstruktionem variarum partium, per quas serum alias vehebatur; excretionem vrinae impeditam; congestionem sanguinis serosi, toties Hydrops excipiat. 3) *Seri facilior a crassamento secessio*. Etenim cum quaelibet secretio secessionem quarundam particularum a massa sanguinea requirat: sequitur, illam eo fore copiosorem, quo facilius certae quaedam particulae a sanguine separantur. Quodsi idcirco idem accidat quoad serum: necesse est, ut eius secretio adaugeatur. Hinc inter alia fit, ut quos morbus aut excretio excedens debilitauit, in Hydropem incident. Summa enim ab istis caussis nata debilitas non permittit, ut bona sanguificatione, apta inter moleculas sanguinis efficiatur combinatio. Inde quoque in hepticis (vid. van SWIETEN *Commentar. in BOERHAAV. Aphorism. de cognoscendis & cur. morbis*, Tom. IV. §. 1229. pag. 197.) atque ictericis (IDEM l. m. c. pag. 196.) hydrops. Numquid huc etiam pertinet id, quod clar. MEDICVS febrem hydropicam dixit? Observauit nempe, dirum hydropem remediis antiphlo-

antiphlogisticis sub'atum esse (*Sammlung von Beobachtung. aus der Arzneyissenschaft*, Theil II. pag. 518. seqq.), eundemque cum signis verae inflammationis extitisse. Contendit inde, vt, solo cruento phlogistice affecto sero que sanguinis adhuc sano, hoc ab isto condensato separari, atque sic Hydrops nasci possit. Neque ab ludit haec sententia ab iis, quae ratio suadet. Quando enim crux addensatur, serum intermedium exprimi sicque in caua aut cellularem facilius fecerni poterit. Pulcherrime hanc Hydropis caussam descripsit WILLISIVS (*Pharmaceut. ration. Sect. IV. Cap. I. pag. 90.91.*): *Interdum, inquit, latex serosus in crux nimis pertinaciter haeret, & contra quandoque nimis cito elabitur; atque hoc respetu sanguis, seri incontinent, ipsum arteriarum oculis, pluribus in locis & fere ubique exspuit; adeoque in viscera aut habitum corporis deponens ascitem aut anasarcam producit, & modo ad renes immoderate allegans, diabeten infert.* Idem quoque p. 91. vrget: *Interdum, inquit, sanguis serum intra compagem suam non diu satius retinet, quia vel fluxionibus seu potius coagulationibus obnoxius, illud hic illic in magna copia affatim deponens, catarrhos, aut tumores variis in locis concitat; vel sanguis habitualiter debilis simulque dorumcasos, scilicet in acorem vergens, quad particulas suas crassiores ad coagulandum aptus est; proinde, ut tenuiores inter circulum ubiuis alegatae, ac in partes imbecilliores decumbentes, affectus modo cephalicos, aut thoracicos, modo ascitem, aut anasarcam inducunt.* Ob eandem causam motus corporis nimis diu continuatus Hydropem inducit (MONRO l.c. pag. 22.). Inde enim diathesin inflammatoriam induci, quis ignorat? 4) *Laxitas corporis.*

ris. Haec enim commixtionem seri & cruaris sufficien-
tem impedit; abundans aquosum saepe coniunctum ha-
bet, atque, cum vires mouentes nimium minuat, con-
gestionibus serosis fauet. Praeterea ponit vasa porosque
facile dilatabiles, vt serum caua & cellularem facile in-
grediatur. Multiplex idcirco existit Hydrops caussa.
Non mirandum itaque, quod subiecta phlegmatica, mu-
cosa, aëri humido diu exposita & quae abusum ciborum
viscidorum admittunt, vitamque minus mobilem exer-
cent, toties Hydropem incurvant. Ob eandem caussam
clima Hydropi fauet (MONRO l.c. p. 17. 18.). 5) *Transi-
tus fluidorum in una corporis parte impeditus*, quo sit,
vt eorum copia in altera increaserat (n. 2.). Hinc vehe-
mentes abdominis dolores Hydrops excipit (TISSOT
Epist. de Variol. Apopl. & Hydr. pag. 179.); hinc arctas
quouis modo ligaturas sequitur (MONRO l.c. pag. 30. 31.
not.); obque eandem caussam excretiones sanguinis feri-
que suppressae, imminutae, caussae Hydrops euadunt.
(IDEM l.c. pag. 23. §. 13.). 6) *Vis externa, contusio, exten-
sio, &c.* qua aut serum cum impetu in cellularem &
caua fertur, aut pars nimium debilitatur. Exempla col-
legit MONRO l.c. p. 21. not. m. 7) *Ruptura hydatidum.*
Hydatides enim collectam aquam iam continent. Si er-
go crepaturam patiuntur: verus exinde Hydrops nasci
debet.

§. V.

II. *Quae absorptionem impediendo Hydropem creant.*

Descriptis iam caussis, quae serum nimium ad ca-
ua & cellularem deferendo hydropem producunt: se-
quitur, vt eas exponamus, quae absorptionem immediate
impe-

impediunt (§. III.). Huc vero sequentes pertinent:
1. *Languor vasorum absorbentium.* Quum enim horum
demum vasorum virtute absorptio seri fiat: nullum est
dubium, quin, si languor illius obueniat, absorptio im-
pediat. *Vt enim,* inquit clariss. TISSOT (l. c. p. 178.),
si deficit in ramo arboris vis vitalis, succi nutritii mo-
tus cessat, sic in venis, lentescente motu vitali, lentescit
circulatio. Hinc moeror diurnus Hydropsis causa
frequens (IDEM l. cit. pag. 193.). Eandem ob caussam
laxitas, motus corporis intermissus, temperamentum
phlegmaticum, morbus valde chronicus, &c. hydropem
efficiunt. 2. *Serum viscidum.* Visciditas enim impedit,
quo minus fluidum minima ista vasorum absorbentium
ostia ingredi queat. Hinc mucosis, senibus, abusum
spirituorum admittentibus, hydrops familiaris. 3. *Va-*
sa absorbentia constricta, compressa aut quovis modo co-
arctata, rigiditate, callo, &c. Nemo non enim videret,
impediri inde seri absorptionem. Frigus, spirituosa, se-
nectus, acria aliaque eam ob caussam Hydropem excita-
re valent. 4. *Serum acre.* Bene clariss. TISSOT (loc. cit.
pag. 180.): *Acris stimulus,* inquit, *qui venarum oris ap-*
plicatus, eas claudit, fines arteriolarum excitando ad ci-
tiorum & copiosorem evacuationem eas cogit; duplicit
ergo de causa augetur congestio aquosi laticis, maiore af-
fluxu, refluxu minore. Hinc scabiosis, scorbuticis, hecti-
cis, & ictericis accidit hydrops. Explicare etiam tentat
inde vesicatoriorum actionem clariss. TISSOT (loc. cit.).
Arrosio tamen & extravasatio seri, ab ista pendens, ma-
nifestior est illius actionis causa. 5. *Aucta resistentia in*
venis majoribus & circa cor. In eo enim casu vasa ab-
sorbentia, e tela cellulari & cauis orta, rite sese evacuare

nequeunt, ut hinc absorptio languescere debeat. Mirabilia ergo venarum cordis & pulmonum vitia hydro-
pem inducunt, quibus tamen recensendis immorari no-
lo, cum MONRO & alii ea in re satis occupati fuerint, qui
adeundi sunt. 6. *Copia succorum nimia.* Ea enim non
poterit accidere, nisi simul resistentia in venis majoribus
adaugeatur (n. 5.). Vel ob hanc caussam plethora, ex-
cretiones sanguinis aliaeque suppressae Hydropem gene-
rant. 7. *Motus sanguinis latus.* Durans enim eo in
casu seri secretio, nimis languida absorptione stipatur
(n. 5.). Atque haec etiam est caussa, qua fit, ut a motu
corporis intermissio nascatur hydrops.

§. VI.

Quare curatio Hydropis valde differens esse debet.

Euictas hactenus Hydropis species potuisse facile
ulterius ex Observatorum monumentis corroborare.
Quum vero alii eo in labore iam occupati fuerint, quos
inter MONROVS eminet, cuius puleherrimus de Hydrope
tractatus non potest satis commendari: iubens plurimum
caſuum collectionem omisi, eo imprimis adnitens, ut di-
versas Hydropi medendi methodos depingam. Ex dis-
putatis vero hactenus luculentissime apparere credo,
non potuisse aliter fieri, quin istae methodi satis diuer-
ſae sint. Vidimus enim (§§. IV. V.), quam multiplices
ſaepe ſibi oppofitae cauſae Hydropem efficiant. Non-
ne itaque modo hac, modo alia ratione & via curari
debuit Hydrops? Nonne diuersa methodus, oppofita re-
media, commendari debuere? Quae ergo ut iam expo-
nam necesse eſt. Ista vero remedia in *alterantia* & *eua-
cuantia* diſpisci poſſunt, de quibus ita nunc loquar, ut,
propo-

proposita eorum commendatione, quid de iis sentiendum
sit, quam breuissime docere adnitatur.

METHODVS MEDENDI.

REMEDIA EVACVANTIA.

§. VII.

I. *Quae sudorem mouent.*

Ordinar vero ab iis remediis, quae euacuando agunt,
cum inde a vecustissimis temporibus magni semper facta
sint. Agmen ducant, quae *sudorem* mouent. Iis vete-
res Medici multum in curando Hydrope tribuerunt,
quod passim ex iis testimonis patet, quae celebri. b.m.
SCHVLZIVS collegit in Dissert. *de Hydropis curation. antiquis*, HAL. 1743. Hydropicum decere laboribus exer-
ceri & sudore, monuit HIPPOCRATES (*Epidem. Libr. V.*
Edit. FOESII pag. 1157. n. 69.), quo loco simul suadet,
panem, calido oleo intinctum, & parcum potum adhibere,
caput tepida lauare, vino albo & tenui vti, commenda-
to insuper somno. CELSVS collegit fere omnes vete-
rum Medicorum curationes; multus vero in eo est, vt ea
commendet, quae sudoribus producendis paria sunt.
Multum, inquit (*de Med. Libr. III. Cap. XXI. p. m. 162.*),
ambulandum, *currendum* aliquando, & *superiores maxime*
partes sic perfricandae, vt calorem in cutem evocet;
inter quae *spiritum* ipse contineat. *Ezocandus* est *sudor*,
non per exercitationem tantum, sed etiam in arena
calida, vel laconico, vel chbano, similibusque aliis: ma-
ximeque utiles sunt naturales & *siccæ sudationes*; qua-
les super *Baias* habemus in *myrtetis*. Atque pag. 164.
at, inquit, si id vitium est, cui *λευκοφλεγματικा nomen est*,

eas partes, quae tument, subiicere Soli oportet; sed non nimium, ne febriculam incendat; si is vehementior est, caput velandum est, utendumque fricatione, madefactis tantum manibus aqua, cui sal & nitrum & olei paulum sit adiectum; sic, ut aut pueriles, aut muliebres manus adhibeantur, quo molior earum tactus sit. Idque si vires patiuntur, ante meridiem tota hora; post meridiem semi hora fieri oportet. Demum p. 166, in sequentibus diebus, post aquas emissionem, vinum meracius, exercitationes, fricationes, Solem, sudationes, fatigations, idoneos cibos, balneum rarum commendat, addens: Si aestas est, in mari naturae commodum est. Alio loco (Liber. II. Cap. XVII. pag. 95.) aquam calidam; milium, salem, arenam calefacta & in lintea coniecta; linteum solum; calidum oleum laudat (SCHVLZE loc. cit. §. X.). ARETAEV^S & AETIV^S alia semina calefacta commendant (IDEM l. cit. §. XI.). Cataplasma varia ad euocandum inter alia serum porosque aperiendos in Hydrope laudasse AETIVM, ARETAEV^M & Cael. AVRELIANVM, notavit celeberr. b. m. SCHVLZE l. c. §. XV. eorumque breuem descriptionem suppeditat. ARETEVS nempe suadet milium pinsitum cum melle & oleo, vt & lini semine; Caelius vero AVRELIANVS indicat herbam Chamaeleontem nigr. Centaurium, Origanum, & Cuminum, atque ex his cum stercore bubulo aut caprino, aceto & pinguisibus adiectis cataplasma parat. Perillustr. van SWIETEN (loc. cit. pag. 267.) narrat, HERACLITVM & HERMIPPVM simo bubulo ad dispellendum Hydropem usos esse, documento, tunc temporis hanc curandi methodum satis fuisse notam. Atque haec fere erant, quibus Veteres ad sudorem in hydropicis efficiendum vtebantur.

bantur. Pluribus ea de re confer. SCHVLZE in cit. Dis-
sert. qui imprimis §§. X. & XII. de laconico, clibano &
arenatione, quam Φαμπούδη appellabant, differit, hanc-
que ex AETIO describit. Sollertius adhuc hanc delineau-
vit anonymous Autor (*Commec. litter. Norimberg. Ann.*
1735. pag. 158. seqq.), qui eam ab ORIBASIO αρμοχωσιαν
aut αρμοχυσιαν, ab aliis Φαμποχωσιαν appellari notat. Eli-
gebant arenam imprimis marinam, quod ea sale esset
praedita, cuius beneficio sudor magis prouocaretur (l.c.
pag. 186. Perillistr. *van SWIETEN* l.m.c.). *Laconicum*
erat conclave aliquod, quod siccо calore ita potuit tem-
perari, vt sudor copiosus eliceretur, vt ex VITRUVIO
ostendit SCHVLZE l.c. §. XII.; *Clibanus* vero, vel furnus
panibus coquendis aptus, vel vas quodcunque includen-
do homini aptum, siue ex lamina ferri, siue ex ligno pa-
ratum, quod calorem illatum, forte per massas ignitas,
conferuare possit hominique circumfundere (IDEM loc.
m.c.). Neque varia ista Veterum remedia postea fuere
neglecta. Adhuc hodie, inquit Perillistr. *van SWIETEN*
(l.c. p. 266.), *peregrinationes in Lusitaniam, Hispaniam,*
Neapolim confiduntur talibus aegris, notumque est, celeb.
illum FIELDING, qui ipsemet, licet toties repetita para-
centesi morboque fractus, iter suum descripsit, eo tan-
tum consilio Lisbonam abiisse, vt Solis calore amissam
recuperaret sanitatem. In laudem arenationis anonymous
ille *Christoph. a VEGA, PASCHALIVM, TACKIVM adducit* (*Commec. litter. Norimb. l.c. pag. 187.*). Legitur
ibi quoque DAMPIERII curatio, quam ipsemet in Itinera-
rio enarrat (*Nouveau Voyage au tour du Monde Tom.*
II. Cap. 9.). *Diu* (haec sunt verba) *hydropē ipsemet afflictus, morbo quo plures nostratium perierunt, arena calida*

calida ad caput usque cooperiebar, quem calorem per di-
midium horae sustinui & interea temporis vehementissi-
me sudauit; postea extractus, sub tentorio sudoris curam
habui, brevi post sanitati restitutus. Laudare eandem vi-
detur BOERHAAVIUS, vt sudores generatim. *Dissipa-*
tur, inquit, *Hydrops calore foci, hypocausti, furni, are-*
nae, Solis, salis, fini, excitato sudore, vel diaphoresi.
Confer. *Aphorism. de cognosc. & curand. morb. §. 1248.*
MONROVS non solum excretionis cutaneae augmentum
generatim praedicat, sed commendat etiam arenationem,
adiecta illa, quam adduxi, DAMPIERII historia (loc. cit.
pag. 96. 97.). Clariss. MEDICVS commendat (l. c. pag.
598. seqq.), ad propellendum Hydropem, remedium,
quod arenationi satis apte substitui potest. Suadet enim,
vt calidis cineribus tegatur aeger, a quo remedio mul-
tum auxilii expectat, analogia quadam adductus. *Fri-*
ctionem non minus magni faciunt *motumque corporis*
(MONRO loc. cit. pag. 99. 105.), licet clariss. TISSOT a tri-
ctione cutis in Hydrope, ob indolem morbi, sudorem
autemque perspirationem vix exspectare videatur (l. c.
p. 215.). Vapores aquae calidae commendat MONROVS
(l. c. pag. 105.), licet fatus ex accenso spiritu istis praefe-
rat, contentiente Perillustr. van SWIETEN (l. m. c.), inde-
que salubrem effectum explicat (pag. 99. not. k), quem
produxit *Grotto dell' serpi* (*Spelunca serpentum*). Te-
nuioris fortunae hominibus consulebat SCHENCKIUS
(*Obseru. Libr. III. pag. 442.*), ut mensae incubantes *uni-*
versum corpus immitterent in clibanum, recenti pane ex-
tracto etiamnum tepentem, ita tamen, ut caput extra
praefurnium puluinari innixum foret, ut libera maneret
exspiratio, nec a calidore gêre suffocationis periculum
ngsce.

nascetur; commendauit & balneum vaporis (Perillustr. van SWIETEN l. c.) RIVERIVS (*Prax. med.* p. 206.) fomenta, sacculos, vnguentia, cataplasma & emplastra suader, ad mentem Veterum composita. Celeberr. b. m. SCHVLZE eandem ob causam SENNERTVM & ZWINGERVM notat. Narrat IDEM, effectum diapnoicum potissimum promisse HIERONYMV ab Aquapendente ab vslu spongiae ex aqua calcis expressae & abdomini toti impositae (loc. cit. §. XVI.). Huc etiam referenda inuentio BORRICHII, qui vesicas aqua calida repletas suadet. Praeter haec omnia vero recentiores Medici varia alia remedia in Hydrope adhibent, eo quidem consilio, ut sudores pellantur. Mercurialia, decocta sudorifera varia, opiate, antimonium, Balsamus Tolut. Peruvian. & de Copaib. aliaque irritantia hinc laudem nausta sunt, de quibus confer. MONROVS, qui exempla felicis per ea curationis affert. Vid. quoque RIVERIVS l. cit. pag. 203. DOLAEI *Encycl. med. dogmat.* Libr. III. Cap. IX. Illustr. etiam b. m. HOFFMANNVS temperatoria diaphoretica admittit, Mixturam simpl. Liquor. anod. miner. cum refracta dosi Spir. bezoard. BVS. SII, Tinct. antim. selectiorem, pulueres ex cerussa antimonii, sale Card. bened. Nitro depur. siue per se, siue cum Rob. Sambuci vel Ebuli mixtos (*Medic. syst. ration.* Tom. IV. Part. IV. pag. 451.), licet sacculos, calide applicandos, longe magis laudet. Illustr. b. m. IVNCKERVS Essent. alexiph. decoct. lignor. praecipue Essent. lign. Sasfr. commendat (*Conspic. Therap. special.* pag. 716.), atque pag. 720. generatim sudationes laudat, dolens modo, quod absque sanguinis commotione impetrari non possint, vnde inventionem BORRICHII aliaque internis praefert.

§. VIII.

Quae diudicantur.

Vidimus remediorum, sudorem pellentium, laudes. Quid autem de iis sentiendum, breuiter tantum exponam, cum monita necessaria in Scriptis celeberrimorum Medicorum obvia sint. Non plane reiicienda illa esse, tam causus, quos passim adduxi, quam ipsa Natura, monent. Narrauit clariss. MOVBLET (*Journ. de Medec.* 1760. M. Mart.) sequentem casum: Foeminae asciticae, quae multa per longum tempus persessa fuit, tandem, variis remediis usurpatis, serum non solum per diuresin & altum, sed & per sudorem, & per hunc quidem tanta copia exiit, ut linteae per diem aliquoties mutare cogeretur. Graui hoc morbo liberata, perfecte conualuit (*Comment. de reb. in Scient. natur. & Medic. gest.* Vol. XI. pag. 265.). Simile quid de Illustriss. Comite ab OSTERMANN refert celeberr. TISSOT (l. c. pag. 224.). Grauissime hydropicus sanabatur spontaneo, largissimo pedum sudore, qui dein indefinenter fluens, illum omni reditu viginti annos liberum seruavit. Haec similiaque sudoriferorum & diaphoreticorum usum edocent. Poterunt interea maximopere nocere, si inconuenienter adhibeantur. Quod ut constet, ususque & abusus eorum appareat, sequentia notanda sunt: 1) *In omni Hydrolea cura excretionis cutaneae habenda est.* Inminuta enim ea, caussa existit Hydropis (§. IV.). Natura etiam, ut in exemplis modo vidimus, viam hancce nonnumquam elit, qua exturbet serum hydropicum. Nonne haec, quod aiunt, in opere suo adiuuanda? 2) *Cruendum tamen, ne fortiora sudorifera inconsiderate adhibeamus.* Ea enim remedia irritant, calorem corporis valde augent, soluunt sanguinem potenter, atque

atque impulsum liquidorum versus cutim enormi plane ratione augent. Quam damnosa ergo fieri possunt! Dum enim irritant atque fluida soluunt, in nouam facile Hydropis abeunt caussam (§§. IV. V.); irritando saltim facile efficiunt, ut, retentis aquis hydropicis, pauca adhuc in sanguine restitans seri portio evacuetur, quod quam periculosum sit, nemo non videt (Perillustr. v. SWIETEN l.c.). Dum porro calorem augent: febrem facile producunt, praesentem vero augent, vnde vel, producta diathesi inflammatoria, noua enascitur Hydropis caussa (§. IV.), vel putredo, adeo in hydropticorum fluidis periculosa, oboritur, quam enormis resolutio, primaria febre sudoriferorum dos, tunc certe adiuuat. Quum denique ab iisdem remedii impetus fluidorum versus cutim enormi ratione adaugatur: tantum abest, ut sudorem, per se iam in hydropicis difficultem, pellant, ut potius eo facilius siccitatem cutis efficiant, aquam vero inter cutim accumulent. Quid? quod si etiam ponatur, sudorem his remedii produci: attamen, cum omnia euacuantia fortiora corporis debilitatem relinquant, haec autem inter Hydropis caussas numeranda veniat (§§. IV. V.), commendari non adeo merentur. Pluribus ea de re confer. Perillustr. van SWIETEN l.c. p. 167. Illustr. b. m. HOFFMANNVS loc. cir. qui serì ad cerebrum transitum metuit, clariss. TISSOT l. c. pag. 212. & aliis locis, celeberr. b. m. SCHVLZE l. c. §. XIII. XIV. qui etiam, ab vsu sudoriferum serum hydropticum inspissari, sicque ad resumtionem ineptum reddi, arbitratur. Leniora itaque remedia hic generatim praeferrri debent. Nonne vero *quibusdam in cassibus fortiora paullo conducent?* Suadent id varia exempla (§. VII.). Atque si torpor, laxitas solidorum,

rum, visciditas fluidorum adsit, multum utilitatis adferre possunt, tunc neque irritatione, neque calore & resolutione nocua. Ceterum 3) tunc demum spes erit, fore, ut ope diaphoreticorum Hydrops tollatur, quando & fluidum stagnans, & vasa ipsa absorbentia eam habeant conditionem, ut absorptio fieri queat (Perill. van SWIETEN l. cit.). Pulchra etiam sunt praecepta, quae circa horum remediorum usum tradit Illustr. b. m. HOFEMANNVS l. c. Conser. quoque MONROVS l. c. §. 45. Remedia ipsa ex §. anteced. constant, ut nunc de cuiuslibet usu facile iudicari queat.

§. IX.

II. Diureticorum usus.

Diuretica magis fere, quam diaphoretica, laudantur. Veteres illa in usum vocasse, docuit celeberr. b. m. SCHVLZE l. c. §. XXII. & Cael. AVRELIANVM adducit, qui de HIPPOCRATE commemorat, quod Cantharides tres, detracto capite, pedibus & pinnis, in tribus cyathis aquae contritas dederit. Commendauerunt etiam Semina Apii & Petroselini, Nasturtium, Allium, radices Graminis (SCHVLZE l. m. cit.); Scillam quoque (Perill. van SWIETEN l. c. pag. 258. seq.) & potionem diureticam (CELSVS l. cit. pag. 162.). Recentiores non absimilia tradiderunt (DOLAEVS l. c.). RIVERIVS (l. c. pag. 203.) generatim caeteris, inquit, praefstant medicamentis, quae per urinas seruos humores euacuant, & felicior urphurimum curatio hac via solet succedere. Post sufficientem per aluum euacuationem diuretica, quae simul virtute attenuante & viscidos humores dissolvente gaudent, in usum vocanda esse, iudicat illustr. b. m. HOFFMANNVS (l. cit. pag. 449. §. VIII.). Naturam imitando, diuretica adhibenda esse, dicit

dicit BOERHAAVIUS (l. c. §. 1243.). Suadent etiam diuretica MONROVS (l. c. pag. 83.) & TISSOT (l. c. p. 204.). Varia autem ad largiorem diuresin obtinendam recensentur remedia, quorum Catalogum deprehendes in RIVERII *Prax. med.* l. c. seq. HOFFMANNI *Med. system. rat.* l. cit. Perillustr. van SWIETEN *Commentar.* ad §. 1243. MONRO Tr. citat. l. cit. seq. Scillam, ea quantitate datam, quae renibus, non alio, purgat, in multis Hydropibus magnum esse remedium celeberr. TISSOT affirmat (l. c. pag. 207.). Quidam etiam aquas medicatas commendant (HOFFMANNVS l. c. SCHVLZE l. c. §. XXIII. Perill. van SWIETEN l. c.). Millepedes etiam, Cantharides, mercurialia (MONRO l. c.), baccas Juniperi aliaque innumera, inter quae salia potissimum eminent. Haec vero non recenso, cum possint loc. citat. haberit.

§. X.

Eorum utilitas & noxa.

Diuretica certe in curando Hydrope magnam merentur laudem. Praeter id enim, quod suum effectum sudoriferis facilius exserant, diuresis ipsa talis est excratio, quae, licet intensior sudore, aucta excretione aluina, saliuatione, minus debilitat. Pulcre id iam notauit Perillustr. van SWIETEN l. c. p. 256. atque etiam MONROVS l. c. p. 83. Interea in eorum quoque usu & selectus & tempis obseruandum. Scilicet 1) diuretica damno*sa* sunt, quando stagnantes hydropicae aquae resorberi nequeunt. Expellunt enim magno cum damno paucam adhuc resistantem seru in sanguine copiam, vnde obstructiones, febris, sitis, tussis, aliaque increaserant necesse est. Hinc iure ante usum diureticorum praeparatio materiae desideratur. 2) Cauendum, ne facile fortiora & rodentia adhibeantur.

C 3

beantur.

beantur. Nocent enim vt sudorifera, de quibus §. VIII.
 locuti sumus. Viis vrinariis praeterea sunt inimica. Iu-
 re itaque Cantharides & similia damnantur. Vid. perill,
 van SWIETEN & clariss. TISSOT l.c. 3) Neque ea facile
 adhibenda, quae, augendo aquam in massa sanguinea, di-
 resin promouent. Non multum ea laudat Perillstr. van
 SWIETEN l.c. Aquae, inquit, & aquosa omnia, ad quae
 etiam referuntur aescientes animalium humores, ut serum
 lactis, lac acidum, lac ebutyratum, se copiose potentur,
 aquae copiam in sanguine augent, & hoc modo aquae se-
 cretionem per renes promouent: cum autem in hydropi-
 cis colluuiis serosa iam adsit, & per venes parum fecer-
 natur, metus est, ne ingesta aquosorum copia augeatur
Hydrops. Nisi enim tubuli renales his assumptis sic refe-
 rari possint, vt liberrime transmittant, quidquid aquosus
 ingestum fuerit, crescat morbus; cum cutis hydropico-
 rum vix transpiret, adeoque vix spes sit, per vasa cutanea
 aquam ingestam exire posse. Ob hanc rationem solent
 Medici potius adhibere illa, quae stimulo, aut specifica
 virtute diuresin promouent. Neque de aquis soteriis sa-
 tis beneuale iudicat celeb. b.m. SCHVLZE l.c. §. XXIII.
 Atque usque adeo, inquit, sunt exempla, quod hydropici
 per usum fontium soteriorum internum curati fuerint:
 quamquam plures puto eorum perire, quam conualescere,
 ubi non satis circumspecte obseruatur, quam bene secedant
 aquae; omninoque videtur alii, quam Hydrope anasarca
 laborantibus, vix unquam succurri tuto hac medicina pos-
 se. Atque his etiam potius admentem SLARII exigua quan-
 titate potae, quam ex pristino more maximis haustibus sic-
 cati calyces videntur commendandi. Quare diuretica le-
 niora, maxime vero diaietetica, suaderi merentur, quae le-
 vius

vius irritando agunt. Ceterum Auctores citati passim notarunt casus hydropicorum, diuresi sive natura, sive arte facta curatorum, quorum multi ob raritatem potius, quam vt imitentur, legi merentur. Quid vero radix Colchici autumnalis, ex commendatione celeberr. STOERCKII, ad curandum Hydropem valeat, tempori erit relinquentum.

§. XI.

III. Purgantia.

Euicit Perillistr. van SWIETEN (l.c. Tom. IV. pag. 262. 263.), HIPPOCRATEM non solum multa bona a spontanea alui solutione in leuioribus quibusdam Hydro-
pis speciebus sperasse, sed ipsum etiam purgandi metho-
dum in iisdem adhibuisse atque satis acribus purgantibus
vsum fuisse; norat vero simul, HIPPOCRATEM non mul-
tum a catharticis sperasse, si ab Hydrope iam admodum
intumuissest aeger. CELSVS quoque (l.c. pag. 162. 163.)
de purgantium vsu in hydropicis loquitur. *Alium mo-*
liri, inquit, cibo melius est, quam medicamento. Si ta-
men res coget, ex his aliquid, quae id praefstant, erit de-
coquendum, exaque aqua potui danda. Dein varia reme-
dia recenset, addens: *primo tamen, quae lenissima ex his*
sunt, id est, rosae folia, vel Nardi spica, tentanda sunt.
Pluribus de vsu purgantium in Hydrope apud Veteres
habentur in celeberr. b. m. SCHVLZII Dissert. citat. §§.
XIX. XX. XXI. Neque minus recentiores purganti-
bus vtuntur. RIVERIVS (l.c. pag. 199. seqq.) multus est
in iis describendis & laudandis, quamuis ex GALENO re-
petat, *purgantia saltem validiora non esse frequentius*
vsurpanda. Rhabarbarum speciatim ex STOCHEHO,
SCHOLZIO, Matthaeo de Gradibus, PASCHALIO laudatur,
quia

quia purgando humores noxios, hepar valde roboret, in quod, vt constat, caussa Hydropis saepe saepius vnice est reiecta. Illustr. b.m. HOFFMANNVS purgantibus maxime fauet. Suadet ergo non solum purgantia paullo fortiora, in principio morbi, sufficienti dosi, & debito cum regimine exhibenda (l.c. pag. 447.), sed etiam mitiora, quae fere magis commendat (pag. 449.). *Mitiora interdum, inquit, ac leniora in maiori paullo dosi exhibere consultum est, quae eundem saepe longeque tutorem praestant effectum*, quod dein Mannae, pulueris Melchoacan-
nae albae & Rhabarbari exemplo docet. SYDENHAMVS etiam non alienus fuit a catharticorum vsu, licet saepius & breuiter repetitum suadeat (Tract. de Hydropie, pag. 613. 614.). Eum secutus BOERHAAVIVS haec habet (l.c. §. 1247.): *Per aluum seri eductio fit per usum largum, saepe & breuiter repetitum summe purgantium, variis formis, maxime liquida, assumitorum.* Non multum tamen Periustr. van SWIETEN purgantibus validioribus fidere videtur (l.cit. pag. 264.), nisi Hydrops recens atque a leuiori causa ortus fuerit. *Memini, inquit, inter alios plures casus similes, quod binis purgantibus remediis dosibus sanauerim hominem, qui uniuersali Anas farca laborabat, dum simul abdomen Ascite tumeret: dereram scrupulos duos radicis Lalappae cum granis quatuor Turbith mineralis pro dosi, felici adeo effectu, ut totus detumuerit & perfecte sanus foret: verum erat vir triginta annorum, robustus, antea semper sanus, qui aestuante sub Sole iter faciens naui, ingentem cerevisiae tenuis copiam biberat, & dein, non tecto corpore, refrigerato subito post validum tonitru aere, obdormiuerat. Verum, addit, in vetustiore morbo, & si difficiliores hydro-*
pis

pis causae fuerint, non sperandus est felix adeo euenerus. Recenier dein eorum damna, quae satis grauia sunt. MONROVS (l. c. pag. 79. seqq.) varia commendat purgantia, tam leniora, quam fortiora; notat tamen, haec etiam Hydropem nonnumquam augere (pag. 82.), addens MEADII (*Monit. & Praecept. med. Cap. VIII.*) monitum: *Vbi fractae vires, nocet vehementer per aluum purgatio;* quo plus enim humoris e corpore evicitur, eo maior ipsius copia breui in cavitates refluit. TISSOTVS (l. c. p. 197.) plurimis in casibus fortiora purgantia damnat. *Grauis-* simi, inquit, *Medici, omni aeuo, ipseque SYDENHAMVS,* fortia in hoc morbo purgantia commendant, & vidi aliquoties prodesse, dum copiosa diarrhoea vaga inaniuntur, effususque latex resorbetur; sed longe saepius monstrauit obseruatio, nihil minui tumorem sub valida purgatione, prosterni vero vires, aut hac via profligatum tumorem citissime redire; longioris verum est aevi detumescencia, quam carent copiosae vrinae, moxque narrabam, nibil fuisse Oxymel scilliticum, quamdiu aluum deiiciebat, conuersum vero ad renes cito morbum vicit. Dein pag. 201. pergit: *Collatis virtutibus purgantium, hydropicorum vi-* tuis ineptum videntur, in plerisque casibus, pharmacum. Nibil boni, praeter inaniendi vim, habent, pluribus tami- nantur naevis, alia ergo seligenda, quae eadem vi inani- ant, iisdem careant virtus. Restringit postea purgantium usum ad eos casus, vbi Hydrops ex obstructis visceribus nascitur. In illo, inquit, casu plurium instar mihi fuit Rheum cum tertia aut dimidia parte Crem. Tartari. Ialappa quoque usus sum, cum saccharo diu trita, quando pi- giores offendebam naturas. Suadet tamen Rheum non minus in illo Hydrope, qui ex atonia vnicè oritur, in reli-

D

quis

quis casibus purgantia pro infidis remedii habens (l.c. p. 202). Clariss. MEDICVS demum (l. cit. p. 566.) dolet hydropticos, quod toties in sui detrimentum laxantia ipsis porriganter. Potuisse his plura addere; at cum breuis esse debeam, iis supersedeo. Pulcherrima interea sanati per purgantia aut laxantia Hydroptis exempla habentur in Scriptis, quae adduxi. Exstant etiam multa in *Commerc. litter. Norimb.* & *Commentar. Lips.* ut ea omittam, quae in Observationalibus, quas integræ Societates ediderunt, exstant, inter quas eae de Rheo aliisque laxantibus notatu dignissimæ sunt.

§. XII.

Breues de iis regulæ.

Vsus purgantium ex iis fere, quae §. anteced. suscisse diffisi, dijudicari potest. Haec fere sunt, quae notari debent: 1) *Purgantia fortiora non facile admittenda sunt.* Vires enim frangunt, digestionem potissimum, irritant, sanguinem soluunt, multum ideo nocuia (Perillustr. van SWIETEN l.c. TISSOT l.c.). Attentionem etiam meretur, quod quidam urgent, purgantia nempe augere inhalationem cutis, quae in hydroptis saepe saepius nimis magna est. 2) *Generatim etiam diuretica iis, quae alium laxam reddunt, praferenda.* Quod bene notat celeb. TISSOT. Vid. quoque RIVERIVS (l.c. p. 202.). Diarrhoea enim plus debilitat, quam diuresis aucta. Praeterea cutis & renes magis consentiant, quam cutis & intestina. 3) *Quod de validioribus purgantibus valere diximus, id quoque de purgatione saepius repetita afferendum.* GALENI hanc regulam (§. anteced.) egregie confirmauit celeb. TISSOT (l.c. p. 202.): Sæpe, inquit, oritur Hydrops ex labente digestione & immunita exspiratione cutanea; vitrumque vero vi rum aagent repetitae purgationes. Eadem regulæ calculum suum adiicit Perill. van SWIETEN l.c ita saltem videtur, cum & paracentesin praferat, & HIPPO-

CRATIS

CRATIS atque CELSI monitis sic vtatur, vt ostendat, eos repetitam purgationem non probasse. Quare 4) lenioribus potius latissimis generatim vtendum, Rheo potissimum, quod WERLHOFIVS etiam salubre expertus est cum multis aliis. Conf. §. anteced. Poterunt tamen omnino 5) in Hydrope recenti, a graviore potissimum caufa non suberto, validiora paullo purgantia adhiberi, prout id vel vnicus iste adductus casus ex Comment. Perill. van SWIETEN (§. anteced.) docere potest. Opus tamen erit, ad praecaudem noxam, vt roborantia aut addamus, aut subiungamus (clar. TISSOT l.c. p.208.). Non negandum certum, quod purgantia validiora nonnumquam in aliis, quam praedictis casibus, virilia fuerint morbumque curauerint. Tales autem casus non sufficiunt, vt regula inde formetur.

§. XIII.

IV. *De Vomitoriorum usu.*

Quamquam AETIVS iam (Sermon. X. Cap. 31.) vomitum in hydropticis commendauit, modosque, vt obtineatur, docuit (Perillufr. van SWIETEN l.c. §. 1244 p. 260. 261.): eorum tamen usus minus postea fuit, quam aliorum euacuantium, sollemnis, cum pauca tantum illius in scriptis Medicorum inueniantur vestigia, plurimi in tractanda Hydroptis curatione eiusmodi remedia ne cogitent quidem. SYDENHAMVS interea vomitorii cum fructu usus est (IDEM l.m. cit.), eandemque methodum commendat BOERHAAVIVS (l.c. §§. 1244. 1245. 1246.), quamuis Perillufr. van SWIETEN vomitoria non adeo magni facere videatur (l.c. p. 261. 262.). MONROVS adducit equidem vomitoria, satis autem ponderosas simul adiicit cautelas (l.c. p. 75. seqq.), quas si sequareis, vix umquam vomitoria exhibebis. Laudantur vero ob concussionem corporis, qua debilia contrahuntur, tenacia soluuntur (BOERHAAVE l.c. §. 1244. MONRO l.c.). Sperant etiam inde alui solutionem & diuresin (BOERHAAVE l. cit. §. 1246.

D 2

MONRO

MONRO l.c. p. 79.), quibus commotum serum hydropicum expelli queat. Certum quoque est, vomitum tam spontaneum, quam vomitorii productum, Hydrops sanasse (MONRO l. cit.), quodque emerita alumna vrinamque sollicitent, cuius rei, ut alia rataeam, exemplum narratur in *Comment. de reb. in Scient. nat. & Med. gest.* Vol. XI. p. 267; videtur interea eorum usus non adeo securus: Fortiora enim adhiberi debent, si concussio valida exspectanda; haec vero in hydropticis, ut sanitatem, ita mortem efficiere potest, quod quiuis, statum hydropicorum perpendens, facile concedet. Nil dicam de debilitate, quae enormem eiusmodi concussionem excipere debet. Plura egregie hac de re differuit Perillustr. van SWIETEN loc. cit. §. 1245. qui conferri meretur.

§. XIV.

V. Saluatio consideratur.

Saluationem in curando Hydrope numquam forsitan commendassent Medici, nisi experientia ipsis quandoque ostendisset, quod Hydrops, contra quem optima quaevis alia euacuanta incassum adhibita fuerunt, orta saliuione sublatus sit. Nonnullos horum casuum recenset MONROVS l. cit. p. 106. quibus propriam obseruationem addit celeb. KRAVSE. Mirabilis etiam Hydrops per ptyalismum curati, exemplum prostat in *Comment. de reb. in Scient. nat. & Med. gest.* Vol. IX. p. 441. Iuuenis nemppe viginti annorum ascite laborauit, cui, pluribus remediis incassum tentatis, Tabaci fumum fugere, clariss. Huon de MAXEY suasit, quo facto salua insigni copia effluxit, effluxusque tamdiu durauit, donec abdomen detumesceret. Post bac autem, ptyalismo cessante, aeger Hydrope liberatus, praeter berniam umbilicalem, pristinam sanitatem recuperauit. Conf. quoque *Comm. litter. Norimb. A. 1741.* p. 52. His obseruationibus sine dubio est effectum, ut ptyalismum suaserit clar. MONRO, si alia auxilia fine

sine fructu tentata fuerint. Neque est cur id improbemus, nisi alia adsint in hydropici corpore, quae saliuationem contraindicant. Facile vero patet, initium curationis ab vsu eiusmodi remediorum numquam faciendum esse, cum saliuatio valde debilitet. Caendum etiam, ne, si forsitan mercurialibus vtamur, putredo hydropico noceat, quam nimis facile ista remedia inducunt, atque forsitan non abs re erit, cum horum vsu ea coniungere, quae virinae excretionem promouent, ne ptyalismus nimium excedat & sic nocivus euadat. Iste tamen excessus minus ex saliuae erumpentis copia, quam ex statu aegri viriumque constitutione determinandus erit. Sed id facile patet.

§. XV.
VI. *Venaesectio*

Hanc quandoque in Hydropo vtilem esse, veteres fere Medicis ad unum omnes assuererunt, prout ex HIPPOCRATE, ALEXANDRO TRALLIANO & AEGINETA ostendit Ill. b. m. HOFFMANN. (l. c. p. 453). Conf. etiam Perillistr. van SWIETEN l. cit. 1234. p. 216. 217. Postea tamen Venaelectionem damnarunt, neglexerunt, nisi a suppressione haemorrhagiae cuiusdam naturalis Hydrops ortus sit, idque recenter. *Venaelectionis*, inquit RIVERS (loc. cit. pag. 202.), *in hoc affectu merito reiicitur, nisi fiat a suppressione mensum, vel haemorrhoidum.* Et tunc etiam non nisi ab initio morbi vena est aperienda, antequam hepar frigidam diabesin contraxerit. HOFFMANNVS commendat Venaelectionem in Leucophlegmatia & anasarca, si status adsit plethoricus, atque ab asthmate sanguineo haec mala praecipuam duxerint originem; negat vero, eam in ascite & tympanite sine periculo adhiberi posse (l. m. c. p. 453. 454.). Perill. van SWIETEN usum Venaelectionis fere restrinxit ad plethoram praefentem, si causa sit Hydropsis (l. m. c.). Suadet Venaelectionem in hydrope MONROVS, si obstructio cito orta sit, aeger vero robustus ac ple-

D 3 thor

thorius existat (l. c. p. 91. 94.), cum quo fere conuenit clariss. MEDICVS l. c. Atque omnino cum integra curatio haud raro vnice per administratam Venaelectionem peracta sit, aut haemorrhagiam, naturaliter obuenientem, quales casus l. c. haberi possunt & in *Comment. de reb. in Scient. nat. & Medic. gest.* Vol. XI. p. 243. 244; nullum est dubium, quin Venaelectione conducat quibusdam in calibus. Quando scilicet plethora (§. V.), aut status fere inflammatorius (§. II.) Hydroponem generarunt: Venaelectione opus erit. Quodsi etiam suppressas haemorrhagias sequatur: in initio morbi, nondum lenta obstruktione producta, utilis erit. Maxima tamen in administranda Venaelectione cautione opus est. Etenim, ita loquitur TRALLIANVS, intempestiva sanguinis missio in aliis quoque periculum inducit, in hydroponico autem interdum etiam mortem.

§. XVI.

VII. Euacuantia externa.

Huc v^{isiones}, irritationes, rosiones, scarificationes partium hydroponarum & paracentesis refero. Haec remedia Veteribus iam nota & in vsu fuerunt, yr CELSVS docere potest. Vid, quoque celeb. b.m. SCHVLEZ l. c. Neque nunc etiam negliguntur. Utuntur ad eum scopum, praeter instrumenta secantia, candentia, pungentia, scilla, bryonia, cantharidibus externe applicatis, de quibus & pluribus vid. TISSOT l. c. p. 220. seqq. Perill. van SWIETEN l. c. §. 1238. sqq. & §. 1282. MONRO l. c. Part. II. Possunt etiam eiusmodi remedia virilitatem saepe insigne adserre, siue nunc Hydroponem plane tollunt, siue eo tantum tendunt, vt citissimum vitae periculum praecaueatur. Docuit quoque experientia, rupturam partium hydroponarum spontaneam (TISSOT l. c.), v^{isionem} casu factam (*Comment. de reb. in Scient. nat. & Med. gest.* l. c. p. 54.), hydroponem sustulisse. Duplici interea plerunque incommodo eiusmodi remedia premuntur. Non tollunt enim plurimis in casibus Hydroponis caussam, vt cito satis ab eorum v^{isu} rediat, atque vleera relinquunt plerumque, quae difficillimam sanacionem admittunt, atque nimis facile maligna euadunt. Plures itaque in iisdem adhibendis cautelae obseruari debent, quas saepe laudati Viri eleganter exposuerunt.

II. ALTE.

II. ALTERANTIA REMEDIA.

§. XVII.

1. In solidis. Roborantia & relaxantia.

Euacuantum remediorum usum in Hydrope haftenus considerauimus. Sequitur, ut alterantia limae subiiciamus. Prodeant hic 1) robortantia, ad quae irritantia quoque referri possunt. Quum hydrops toties a debilitate & laxitate oriatur: mirandum sane minime est, quod ab omni aeuo robortantia laudata, adhibita sint. Motum itaque corporis, frictiones lenes, diactam magis sicam, martialia, cort. Chiae, Rheum, ligaturas, spiruosa externe adplicata & alia plura commendarunt. Conf. Perillustr. van SWIETEN l.c. §. 1233. & 1235. MONRO l.c. p. 50. seqq. TISSOT l.c. p. 182. seqq. & p. 202. 2) Relaxantia. Hydrops scilicet nonnumquam a contractione nimia va-
forum absorbentium nascitur (§. V.), quo certe in easu non poterunt non relaxantia conducere opemque adferre. Plura talia recensuit MONRO l.c. p. 67. seqq. Inunctiones & frictiones cum oleo, Veteribus iam notae (celeberr. VOGEL Hifor. Mater. med. p. 258.), neglectae postea & a clariss. OLIVER, Medico Barthoniensi, restitutae (Gentl. Magaz. 1756. Septembr. Bremisch. Magaz. II. Band. p. 278. seqq.), hic imprimis notari merentur, cum TISSOTVS, (l. cit. p. 214.), STOERCK (Ann. med. I.) MEDICVS (l. c. p. 576.), MONRO (l. cit. num. b.) & aliis plures laudauerint, atque ab iisdem euacuationem aquarum in hydropticis sperauerint. Putat quoque clariss. TISSOT, oleosa inhalationem cutis, in hydropticis nimium saepe excedentem, minuere atque hinc iuuare, quod quam probabile sit, nemo non perspicit. *Opii* quoque usus hue pertinet, bonus, si spasmus & dolor caussae Hydropis existant.

§. XVIII.

2. In fluidis.

Resoluentia, inspissantia, temperantia, deriuantia.

Hydrops frequentissima cauſa in humorum visciditate & densitate, natusque inde obſtructionibus vifeerum, quaerenda eſt, unde resoluentia in curando Hydrope tot laudibus proſecta ſunt. Einsmodi praetera remedia laxa ſolida stimulant augentque excretiones naturæ.

naturales. Quid ergo mirum, quod varias Hydropsis species sanare possint? Plura hue pertineant, quae BOERHAAVIVS & MONROVS recognoscerunt. Spectat etiam hic illa, quam nouam dixit clariss. RIEPENHAVSEN, methodus. Pilulis mercurialibus & saponatis vtitur, vsque ad ptyalismi initium, addit tunc diurerica pilulis, siue se Hydrops curasse testatur l.c. Licet autem resoluenteria tanti sint vius in curando Hydropem, suis nihilominus limitibus sunt circumscrippta. Non solum enim caendum, ne validiora semper eligamus, sed certum estiam est, quod Hydrops a nimia nonnumquam tenuitate & serofitate oritur, quo in casu *inspissantia* laudem merentur, quorum diaeta secca, motus alia similia perirent. *Temperantia* quoque laudata sunt, *Nitrum*, *Cremor Tartari*, *acida*. Conf. TISSOT l.c. pag. 185. MEDICVS l.c. p. 578. Commentar. Bononiens. Tom IV. p. 268. BOERHAAVE l.c. §. 1234. Haec non solum caussam quandam Hydropsis praescindunt (§. IV.), sed siti etiam, putredini, febri hydropicorum aduersa sunt. Praeterea lenius resoluent atque excretiones naturales saepe saepius restituunt. *Deriuantia* denum ut illa extitisse, observatione celeberr. LIEBERKÜHN ostendit, quam TISSOTVS recenseret l.c. p. 224. Nec hic, inquit, obliuiscendum pulchrae illius methodi, adhibitae haud ita pridem, a Viro dotibus ingenii, doctrina & felici praxi nemini secundo, N. LIEBERKÜHNIO. qui, consensu cellularis utile doctus, aquam in cellulostate pulmonari effusam, ad crura pediluuiis descendere cogebat, tuncque roborantia adhibebat.

§. XIX.

Conclusio.

Ex pertractatis haec tenus satis appareat, quam diuersae ad curandum Hydropem methodi a Medicis commendatae sint. Potest etiam hinc tantae diuersitatis necessitas (§. VI.) patere, cum imprimis Natura ipsa, quando morbum istum curat, diuersas eligat vias. Ceterum multa, fateor, dictis a me addi potuisse; breuitas vero in scriptis academicis necessaria prohibuit, quo minus curatiorem & ampliorem traderem remediiorum, contra Hydropem commendatorum, expositionem.

T A N T V M.



00 A 6281

ULB Halle
002 828 12X

3



50

Ratho ✓

Farbkarte #13

Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

AUGVRALIS MEDICA DE VERSA DROPI I METHODO

QVAM
VMINIS AVSPICIIS

ET
SI ORDINIS MEDICORVM
GIA FRIDERICIANA

ESIDE
NTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

ELIA BVCHNERO

NI IMPERII NOBILI,
E REGIS A CONSILIIS INTIMIS,
ATVRALIS PROFESSORE PVBL. ORDINARIO,
ET REGIOR. ALVMN. EPHORO,
PRAESENTE ET COMITE PALAT. CAESAREO,
TIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENS.
PELIENS. SODALI,

V DOCTORIS

A HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
RITE CONSEQUENDIS

A. R. S. CLO ICCC LXVI.

E DEFENDET

CTOR

IEB PETRVS BLVTH

POMERANVS.

IO. CHRIST. HENDELII VIDVÆ.